


Haionus Nessa a Christian Ohm

## **Disputatio De Locatione Et Conductione**

Rostochii: Myliandrus, 1610

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728669900>**

Druck Freier  Zugang



RU jurist. Februar 1610

a Nessa, Haione /b



2  
5

DISPUTATIO  
DE LOCATIONE  
ET CONDVCTIONE.

Quam  
D. O. M. A.

Decreto Amplissimæ Facultatis ju-  
ridicæ in celeberrima Rosarum Academia

PRÆSIDE

Magnifico Viro,

DN: HAIONE A NESSA

Jcto, Illustris. Juniorum Principum Megap.

Cancellario, Academiæ Rostochientis professore  
ordinario, & collegij Jctorum

DECANO.

Pro consequendo gradu Doctõris in  
utroq; jure examinandam proponit.


CHRISTIANVS D H S S Rostoch.

Habebitur disputatio Februar. in Auditorio magno  
initio factõ ad 6. matutinam.

ROSTOCHII Typis Myliandrinis Anno 1610.

I. B. 189. 30.





## Thesis I.

*Verpachtungs*  
**L**ocatio & conductio est contractus consensu initus, fruendi faciendive aliquid certa mercede.

II.

Hinc locatorem dicimus, qui dat aliquid fruendum vel faciendum: Conductorem, qui accipit.

*Verpächter  
Pächter*

III.

Locare & conducere possunt omnes qui & consentire, nisi prohibeantur.

IV.

Prohibentur autem milites, ne omisso armorum usu ad opus rurestre se conferant, & vicinis graves præsumptione cinguli militaris existant. Armis enim non privatis negotijs occupari debent, ut numeris & signis suis jugiter inherentes, Rempublicam, à qua aluntur, ab omni bellorum necessitate defendant.

V.

Curiales quoque neque conductores alienarum rerum, nec fidejussores, aut mandatores conductoris existeri possunt: alioqui nullam obligationem, neque locatori neque conductori, ex hujusmodi contractu competere tantum est.

VI.

Locari possunt non tantum res omnes commercijs hominum non exemptæ, iam mobiles quam immobiles,

A 2

tam

ram alienæ quam propriæ : verum etiam operæ hominis locari solitæ.

VII.

Planè qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non iterit, quo minus operas præstet.

VIII.

Servitutes quoq; personales: veluti ususfructus & habitatio, excepto usu, locari possunt. Reales, nisi cum ipso fundo, locari non posse verius est.

IX.

Ceterum hic contractus non tantum expresso, verum etiam tacito consensu contrahi potest; veluti si quis finito tempore locationis, absque nova conventionem, in conductione permaneat.

X.

Et quidem in rusticis prædijs in annum reconductio fieri intelligitur. In urbanis tamdiu, quoad alter renunciet. Nisi dominus interim furere ceperit, vel nisi in scriptis certum tempus conductioni comprehensum sit.

XI.

In urbanis quoq; habitationibus investa & illata: in prædijs autem rusticis fructus, qui ibi nascuntur, pignori sunt locatori, itemq; fundi domino, etsi nihil nominatim convenerit.

XII.

Nec tantum purè, sed etiam sub conditione, vel ad tempus certum, vel etiam incertum, veluti quo ad is, qui rem locat velit: quo casu locatio morte ejus, qui locavit; tollitur.

XIII.

Quod si in longum tempus locatio fiat, eam in aliud nomen contractus non transire verius est.

Torro

XIV.

Porro ita demum locatio & conductio contrahi intelligitur, si de mercede certa ab initio convenerit: ea tamen perfecto contractu remitti potest.

XV.

Merces generaliter alieno arbitrio non permittitur: Sed quanti Titius æstimaverit, sub hac conditione stat locatio: Si ipse, qui nominatus est, mercedem definierit. Sin autem vel noluerit vel non potuerit mercedem definire, pro nihilo est conductio, quasi nulla mercede statuta.

XVI.

Mercedem non tantum in pecunia numerata, verum etiam qualibet re fungibili constitui posse putamus.

XVII.

Si quis conduxerit nummo uno conductio nulla est, quia & hoc donationis instar inducit.

XVIII.

Ex hoc contractu duplex actio datur: locati & conducti; utraque bonæ fidei & in heredem transitoria.

XIX.

Actio locati datur locatori ad perfequendam mercedem debitam, & ejus post moram usuram.

XX.

De tempore exigendæ pensionis sciendum: Si certo tempore res certa locata sit, finito locationis tempore sin in annos singulos, exacto anno pensionem solvendam.

XXI.

Quod si opus faciendum conductum sit, si pro toto opere pecunia promissa sit, non nisi opere perfecto & probato merces deberur. Secus si ad mensuram vel in dies pensio promittatur.



XXII.

Planè conductor, intra locationis tempus rem conductam deferens, integram mercedem nihilominus solvere compellitur. Nisi iusta sit causa emigrandi: puta timor pestis, impetus hostilis, damni infecti; quibus casibus pro rata temporis, quo re conducta uti non potuit, conductori pensio remittitur.

XXIII.

Venit quoq; in hanc actionem rei locatæ finito usu restitutio; quam si reddere noluerit, quanti in litem iuratum fuerit, damnabitur.

XXIV.

Deniq; datur hæc actio ad æstimationem damni, dolosa ac levi conductoris culpa dati. Non tamen levis sima.

XXV.

De casu fortuito non tenetur, nisi eum nominatim in se receperit.

XXVI.

Actio conducti datur adversus locatorem ejusq; heredes, ad consequendum id, quod sibi ratione conductionis abest.

XXVII.

Competit autem ex his causis ferè: ut puta, si re, quam conduxit, frui ei non liceat, aut res locata non reficitur, vel si quid contra legem conductionis factum fuerit.

XXVIII.

Si in fundo sua opera aliquid necessario vel utiliter au-  
xerit, vel ædificaverit, vel instituerit, cum id non convenisset, ad recipienda ea quæ impendit: & si dolia vitiosa locaverit, ut id, quod interest, præstet.

XXIX.

Denique ut ob vim majorem, sterilitatem, vel si qua  
alia

alia calamitate fructus immodicè læsi fuerint, pensio remittatur; nisi aliter convenit, vel sequentis anni ubertas sterilitatem compenset.

XXX.

Finitur locatio & conductio, si dominus proprijs usibus domum necessariam esse probaverit, aut corrigere maluerit, aut malè in re locata conductor versatus sit.

XXXI.

Item acquisitione rei locatæ dominij, venditione ejusdem & alijs perlisque modis.

## Corollaria.

I.

*Gravissima questionis est, de qua non semel inter Evangelicos & Pontificios armis disceptatum, ecquid Episcopus, Prælatus, vel quis alius in dignitate Ecclesiastica constitutus, si Idolomania Pontificia nuntium remittat, ob id Episcopatu, prælatura, beneficiove suo cedere atq; abire teneatur?*

II.

*Nec minus illa nobilis questio est, An Magistratui Pontificio, nobilibus ac civitatibus sibi subditis, qua tamen jam inde à transfactione Passoviensi, Deo Augustanaq; confessioni*

*sioni nomen dedere, ejus religionis exercitio interdicare fas sit?*

*III.*

*An non Pontificij, à subditis suis, quos ob confessionem Evangelij solum vertere, & ad exilia non spontanea adigunt, decimas, quas vocant, Germanice Nachstewren/ exigentes, inique & contra constitutionem pacis Religionis publicam agant?*







XIV.

Porro ita demum locatio & conductio  
ligitur, si de mercede certa ab initio conven  
perfecto contractu remitti potest.

XV.

Merces generaliter alieno arbitrio no  
Sed quanti Titius aestimaverit, sub hac c  
locatio: Si ipse, qui nominatus est, merced  
Sin autem vel noluerit vel non potuerit n  
nire, pro nihilo est conductio, quali null  
tuta.

XVI.

Mercedem non tantum in pecunia nun  
etiam qualibet re fungibili constitui posse

XVII.

Si quis conduxerit nummo uno cond  
quia & hoc donationis instar inducit.

XVIII.

Ex hoc contractu duplex actio datur  
ducti; utraque bonae fidei & in heredem tra

XIX.

Actio locati datur locatori ad perfequ  
dem debitam, & ejus post moram usuram


XX.

De tempore exigendae pensionis scien  
tempore res certa locata sit, finito locati  
in annos singulos, exacto anno pensionem

XXI.

Quod si opus faciendum conductum  
opere pecunia promissa sit, non nisi opere p  
bato merces debetur. Secus si ad mentu  
pensio promittatur.

A 3



the scale towards document